



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXXVII. Pacem Virgo inter honestam matronam, & mariti amica[n] componit; eamq. ob adulterij consuetudine seuocat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

MIRAC. VIRG. XXXVII.

Pacem Virgo inter honestam matronam, & mariti amicam componit; eamq. ob adulterij consuetudine seuoat.

SAepissime turpi adulterio libidinosus homo se foedabat. Illud uxor iniquè ferens, in sacello Virgini dicato ualde conquesta est, eamq. rogauit, ut dignum supplicium pellex expenderet, cuius ille cebris à se mariti animus erat abalienatus. Illi respondit Virgo, se perpeti nō posse, ut illa laederetur, quae se centies quotidie pedib. suis abiiceret. Irata uerò mulier, quod à matre non ualuit obrinere, à filio impetrari posse existimat. Sic igitur murmurans è sacello egreditur, atq. ibi ipsam pellicem forte conperit, à qua interrogata fuit, cur nā è pectore querelas effunderet, & cur moereret. Dixit irata mulier: ut dignum flagitiis tuis supplicium sumeret, Dei parentem obtestata sum; quae id mihi expressè negauit; quādo tute quotidie ante illam submissè prouoluis: futurum tamen confido, ut eius filius te ulciscatur. Id ubi audiit adultera, flens, & prostrata à muliere ueniam petit, eius pacem exposcens; & sacramento sanctissimè adfirmavit, a se nunquam eius thori iura amplius uiolatum iri. Ita q. ut maximo in periculo illi uersantur, qui nunquam boni quicquam facientes, uti Satanae mancipia in peccatis caecutientes delitescunt; ita sperandum est, se illos recepturos, qui, etsi a recta uia paululum declinarunt, in eorū tamē mentib. nunquam penitus extinctas religionis flammās uidemus. Nam
-snibro
licet

licet quaecunq. à nobis bona proficiscuntur, dum sub peccati imperio sumus, nihil ad sempiternae gloriae gradus adipiscendos afferant; ita tamen nos muniant, & parant, ut facilius à vitiis ad uirtutē, & à malo ad bonum defescamus, & digrediamur; atq. cum Deo facillimè redeamus in gratiam. Cauendum est quidem, ne quicquam in sempiterni Dei maiestatem eiusue mandata admittamus. Quòd si postea uel nostra imbecillitate, uel Satanae astu lapsi fuerimus; nō idèò à piis operibus abstinendum est. Etenim si nos in illis exercuerimus, ad Christum redeundi desiderio accensi, in uiam rectam reuocabimur.

MIRAC. VIRG. XXXVIII.

Sola liberatoris nostri sacratissimi sanguinis gutta uniuersa mortalium peccata superari, ac uinci.

Sacerdos in quo nullum omnino religionis uestigium apparebat; & qui omnibus illis rebus destitutus erat, quas in homine sacris adstricto esse oportet, quotidie tamen Virginem Angelica salutatione centies salutatum ibat. Is in extremis laborans mente excessit; ac se ante Christi tribunal a cacodaemonibus, à quibus reus agebatur, raptum uidit. Iudex, perspecta, & cognita rei culpa, eum condemnandum esse censebat. Interim Virgo aduenit; & adtulit libros, in quibus singulae salutationes erant notatae. Ea iudicem obsecrauit, ut sibi lege agere, & iudicium iterum adipisci liceret. Repente aduersarij in mediū proferunt tabulas, in quibus ea, quae admiserat reus,